
Sulcii Joannis Crac: Theses medicae
de arthritide et lithiasi.
Patavii 1619.



THESES
MEDICÆ
DE ARTHRITIDE
ET LITHIASI

AD DISPVTANDVM
PROPOSITAE
IN FLORENTISSIMO GYMNASIO
P A T A V I N O.

A

IOANNE SVLCIO CRAC.




Patauij Typis, Laur. Pas. Impreß. Camer.
Superiorum Permissu.
1619.



ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO
PRINCIPI
AC DOMINO D.
LAVRENTIO GEMBICKI
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, Primoq; Principi &c. &c.

Domino suo clementissimo.



IOANNES SVLCIVS CRAC. Felicitatem.

TEnuia hæc ingenij mei primordia in celeberrimo totius orbis Gymnasio Patauino publico certamini proposita, Nomini Tuo Amplissimo, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, dedico & offero: quem enim alium de

ligerem quàm TE, qui Primum Principem & Primatem Regni Poloniȩ cùm agis, hoc etiam bonum agere videris, vt optimȩ literæ, quibus Reipub. ſalus & dignitas continetur, quàm florentiſsimȩ exiſtant? Quod & ipſe abundè ſum expertus, cùm Illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ ſupremã in noſtro Regno Archiepiſcopatus dignitatem gratularer, meam illam in dicendo balbutiētem infantiam laudatiſsimo Tuo ore laudaueris; tantamq; in poſterum humanitatem ac clementiam Illuſtriſsimæ Celſitudinis in me propēſam cognoui, vt eidē mea ſtudia per omnia dedicata & accepta eſſe exoptarem. Et cùm ad Medicinȩ arcana perueſtiganda animum meum appuli, illiusq; experimēta publicè exhibere conſtitui, multũ mihi gratulatus ſum, quod iam diu exoptatam occaſionem nactus eſsē, qua Illuſtriſs. Celſitud. meos litera-

rios

rios conatus consecrando, meã quoq;
effusam animi promptitudinem te-
stari possem: persuadeoq; mihi, Anti
stes Reuerendissime, quod meã hãc
demissi animi erga Amplitudinem
Tuam obseruantiam, pro innata hu-
manitate & Clementia benigno ani-
mo suscipies, ac bene pro Tua singu-
lari sapientia hanc meam interpella-
tionẽ interpretaberis. His enim vir
tutibus, præter generis nobilitatem,
augustam quidem illam, & planè re-
giam, cæteros quòd antecellas, vel
me tacente, summus dignitatis gra-
dus, in quem tãto optimorum homi
num applausu euectus es, necessariò
comprobat; illi enim soli ad istam di
gnitatem & honoris locum efferun
tur, quibus maxima est cum virtute
coniuncta sapientia, cum sapientia
humanitas, & cum humanitate sum
mus Christianę religionis cultus &
zelus. Hæc Serenissimum Regem Po
loniæ,

Ioniæ, cùm TE Archiepiſcopum renunciatum eſse voluit, nõ latuerũt, hæc de te omnis ordinis homines pleno ore prædicarunt, ac in eo Eccleſiaſticæ dignitatis faſtigio collocatũ eſſe expetiuerunt, omnes enim tuam inſignem prudentiam, multiplicem rerum ſcientiam, variam eruditionẽ, raram incredibilemq; Clementiam, ac deniq; ſummam pietatem agnoſcunt & laudibus ornant. Quod reliquum eſt, Præſul Ampliſsime, maximis quibus poſsũ precibus obſecro, vt meos conatus quàm commendatiſsimos habeas; hoc ſi impetrauero, optimè mecum actum exiſtimabo, quod me tunc certo putabo conſecuturum, ſi hæc ſtudiorum Tyrocinia Celſitudini Tuę haud improbabuntur, quam vt nobis DEVS OPT. MAX. incolumem atq; felicem quã diutisſimè ſeruet, ardentibus votis precor. VALE.

DE

DE ARTHRITIDE ET LITHIASI.

I.



Rthritis à loco affecto, diuersos occupans articulos, diuersum recipit nomen, vt in pedes decumbens πόδαγρα, in manus χέιραγρα, in coxam ἰσχιὰς, in genua γόναγρα, in tendines τενδόναγρα appelletur: Si verò in multos incidat articulos; tunc verè & propriè ἀρθρίτις nuncupatur.

I I.

Hęc potest fieri ex sola intemperie, ita vt sine vllo alio morbo nuda intemperies possit articulares dolores efficere.

I I I.

Dolor articularis quemadmodum fit in nerueis partibus, constituentibus articulum: ita etiam eundem dolorem posse fieri in ossibus sustinemus.

I I I I.

Dolores articulares fiunt à pituita plerumq; & à bile, vel æqualiter abundantibus, vel altero ipsorum humorum prędominante: fit quoq; interdum à sanguine.

V.

Hinc opinio Fernelij viri alioqui doctissimi non videtur rationi consentanea, asserentis, duntaxat à pituitoso humore fieri Arthritidem, & omnem frigidam esse, & ex frigido humore genitam.

V I.

Materia efficiens Arthritidem non semper colligi-

tur

tur in capite, interdum enim colligitur tam ſecundum intimam, quam ſecundum extimam partem, interdum etiam colligitur in alijs corporis partibus, pręſertim autem in intimis, atq; viſceribus.

VII.

Cauſæ Arthritidis ſunt præcipuè humoris ſuperflui ad articulos affluxus, & articulorum debilitas adeò vt ſine his Arthritis fieri non poſſit: neq; enim dolor articulorum non ab humore ſuperfluo factus, propriè Arthritis eſt, neq; is ipſe in membro non debilitato locum habere poteſt. Quæ res facit, vt quicquid articulos debilitat, vel humores ſuperfluos generat, vel generatos ad fluxionem commouet, Arthritidis cauſa eſſe poſſit.

VIII.

Ex quibus cauſis aliæ procatarcticæ ſunt ſeu externæ, aliæ internæ. Ad externas referuntur vita deſidioſa, exercitium immoderatum & intempeſtiuum, vini præſertim fortioris ingurgitatio, nimius alimentorum eorundemq; vitioſorum eſus, Venus immodica, ſomnus immoderatus meridianus, caſus, contuſiones, luxationes, balneorum frequentior vſus, equitatio crebra, aeris intemperies, & his ſimilia.

IX.

Ad internas easq; antecedentes cauſas pertinent viſcerum pręſertim cerebri, epatis, & ventriculi intemperies, ſuppreſſa aliqua conſueta & naturalis euacuatio, quę fit per nares, vrinas, ſudores, & id genus alia, articulorum debilitas, calor vel dolor, meatuum laxitas, corporis πληθώρα vel κακοχυμία.

Signa

X.

Signa Arthritidis deſumuntur ex ſubſtantialiter inhærentibus, ex temperatura, ex coloribus, ex motu veloci vel periodico, vt de tertio in tertium eſt bilis, de quarto in quartum melancholia, & quotidianus motus eſt pituita.

X I.

Indicationes ſumuntur à quatuor fontibus, à materia peccante, à membro mandante, auferendo intemperiem lædentem eius actionem, à membro recipiente, auferendo debilitatem vel laxitatem adſtringentibus, & à vijs per quas materia excurrit denſando & intercipiendo.

X I I.

Inter remedia præcipuum conſiſtit in moderando ſex res non naturales, & præcipuè in victu moderato: refert enim D. Hieronymus, multos Podagricos ad paupertatem redactos, tandem fuiſſe liberatos.

XI I I.

Proſunt in generè Arthriticis cibi generantes ſuccum non valde humidum aut ad fluxionem paratum, quales ſunt aues montanæ, perdices, gallinæ: poteſt etiam admitti caro vitulina atq; hędina. Ex piſcibus ſaxatiles probantur. Ex fructibus pyra atq; Cydonia maximè conferunt, vt quę poſt ingreſſum cibum aſſumpta, non ſolum os ventriculi conſtringendo, aſcenſum vaporum prohibere, ſed & ventriculum roborando concoctionem iuuare poſſint.

XIIII.

E contra verò vitentur illa, ex quibus ſuperflui humores vel generantur, vel ad fluxionem commo-

ueri possunt, quæq; caput replent facile, aut concoctu difficiliora existunt: Tales sunt aues aquaticę, humidum admodum atq; excrementitium alimentum generantes, carnes suillę, bouinæ, aut fumo exsiccatæ, pisces molliores in stagnis degentes. Sinapi item, allia, cæpe & raphani vitandi sedulò, vtpote quę cerebrum repleant atq; fluxiones facilè proritent.

X V.

Potus Arthriticorum, si materia fuerit calida, sit aqua hordei; si frigida, sit aqua, in qua Cinnamomum aut Mastiche, aut semina Coriandrorum, vel Anisorum sint decocta.

X V I.

Ceruisia, quæ est potus populis ijs qui Aquilonares regiones incolunt, non videtur conuenire, cùm pedes facillimè petat, ac valde illis officere soleat, qui obnoxij sunt fluxionibus, ob vim quam obtinet aperiendi.

X V I I.

A vino prorsus abstinendum est (nisi ventriculi imbecillitas aut consuetudo diuersum suadeat) quod dicat Aegineta, abstinentes in totum à vino, omnes morbo leuatos esse: alios enim in morbi confestim exordio prorsus conualuisse, alios verò postmodum rarius & minus grauibus accessionum doloribus vexatos fuisse.

X V I I I.

Excrementa alui si quotidie non deijciantur, arte prouocanda erunt, idq; vel lenientibus per os exhibitis, vel Clysterijs iniectis aut suppositorijs: siq; naturalis aliqua euacuatio sit suppressa, ea reuocanda erit.

XIX.

Totius quoque corporis habenda est diligenter ratio, vt si prauis redundet humoribus, ij pro diuersitate humorum, ritè præmissa nempe debita præparatione, diuersis educantur pharmacis.

XX.

Venę sectio plurimum iuuat in Arthritide, potissimum si adsit sanguinis redundantia. Conferunt quoq; Cucurbitulæ post scarificationem, similiter Cauteria: quod si dolor sit in omnibus articulis, Cauteria non cōducunt, si in aliquibus partibus, conducunt.

XXI.

Alia remedia quibus reuulsio solet fieri, vt sunt frictiones, ligaturæ, & his similia, in Arthritide, præsertim in Podagra, neque cum fructu, neque tutò administrantur.

XXII.

In purgatione, si humores fuerint crassi, maximè cauendum à medicamentis euacuantibus serosos humores, vt sunt Elaterium, Scammonium, Salapa, Gummiguttæ, Granum Cnidium, quia inde humores crassi relinquuntur, & fiunt rebelles coctioni.

XX III.

Decocta summè iuuant in intemperie frigida, sicut est decoctum Ligni Sancti: in materia calida Rad. Chinæ & Salsæ, hæc etenim, si quid aliud, cerebrum, aliasq; corporis partes strenuè exsiccant: & post decoctum, Theriacæ & Mithridati confectiones conferunt.

XXIIII.

Balnea aquæ dulcis, si humores sint crassi, Arthritidi maxime sunt nociua: vias enim aperiunt, humores colliquant, & eos reddunt fluxibiles. Similiter no-

ciua ſunt balnea ſulphurea, cùm abſumant tenue, & inde facile lapideſcat humor craſſus.

XXV.

Narcotica externa vt Opiata non conueniunt, quià lædunt calidi natiui partes, neq; dolores mitigant extrinſecus adminiſtrata, quoniam non deducuntur à potentia ad actum à partibus externis, ſed ſolum à calore interno: quando per os ſumuntur, tunc incraſſant ſpiritum & mitigant dolorem, quoniam eſt immediatum inſtrumentum ſenſus.

XXVI.

Pro præſeruatione Arthritidis, cauendum diligenter à cauſis procatarcticis, ſeruando moderatam victus rationem. Corpus à vitioſis humoribus præmiſſa idonea preparatione, Vere & Autumno, quo tempore humores collecti fundi & moueri ſolent, quotannis purgetur, & ſanguis ſi videatur redundare mittatur.

XXVII.

Quin & extra iam commemoratum tempus, purgationes ſæpius repetitæ, ad Arthritidis præſeruationem plurimum conferre poſſunt; aſſueſcit enim hac ratione natura paulatim excrementa corporis ad inteſtina deponere, priusquam cum impetu in articulos fluant.

xxviij.

Hoc quoq; ad præſeruationem Arthritidis requiritur, vt partes recipientes non negligantur. Eas itaq; ab humoribus ſuperfluis prius mundatas, cōuenit idoneis medicamentis, adſtringentibus nimirum & exſiccantibus forinſecus adhibitis corroborare, ne neglectæ ſentina corporis fiant, ad quam excrementa magna ex parte à reliquis partibus protrudantur.

Arthritis

XXIx.

Arthritis & Lithiaſis ab vno fermè humore proueniunt: nam illa pituita quæ concreſcit in renibus eiuſdem eſt naturæ ac eſt illa quæ articulos obſidet.

XXX.

Lithiaſis cauſæ adæquatæ non ſunt craſsi lentiue humores & caloris exceſsus, ſed lati & recluſi meatus hepatis, venarum emulgentium & renum qui neceſsariò in calculorum vel arenularum generatione concurrunt.

XXXI.

Hinc errant illi Empirici, qui refrigerant ſenes lithiaſi paſsione affectos qui deſtituuntur calore natiuo: refrigerant enim aquis Thermarum, ſero lactis, ſeminibus Melonum & aliis refrigerantibus, credentes exceſſum caloris neceſſariò concurrere ad gignendum calculum.

XXxII.

Errant quoq; qui putant Calculum in renibus & veſica exiſtentem frangi poſſe medicamentis per os aſſumptis, vt ſucco Citri, Electuario de Vitro, decocto Saxifragiæ, Verbenę, Cinere Scorpionum, Hirci ſanguine, & ſimilibus: hę etenim materiæ nec diminutè nec abundanter poſsunt calculum frangere vel comminuere; quare erunt remedia externa & tranſcendentia.

xxxIII.

Lithiaſi laborantibus diuretica ſunt pernicioſa, quoniam ad loca illa affecta, alia plura rexcrementa ſecum rapiunt & morbum intendunt, meatum aperiunt, cal

culum

culum circumuen tum viscosa pituita denudant, illúq; inæqualem & asperum reddunt, qui ob asperitates adeò pungit, vt post breue deinde spatium vlcus ex itiosum efficiat.

XXXIIII.

Verùm si partes illæ fuerint refrigerandæ & contem perandæ, diuretica frigida, vt lac seminum melonum & alia id genus summè conferunt.

XXXV.

In arenularum dolore sæuissimo, præstantissimum remedium est Vomitus, statim enim mitigantur dolo res, quia loco ab impetu vomitus arenulæ dimouētur.

Disputabuntur publice sub felicibus auspicijs Per illustris D. IOANNIS DOMINICI Maresii Vicentini, Almæ Uniuersitatis DD. Artistarum Syndici Dignissimi. Die xxviij. Mensis Aprilis Hora & loco consuetis.

